DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
VI CONSUETUDINIS
IN CORPUS HUMANUM, NUNC CAUSA MORBORUM, NUNC SALUTIS PRAESIDIO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LEONARDUS STEWART,

AB INSULA BERMUDA,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis,

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER,

1819.

ROBERTO HOOPER, M. D.

OXONIAE ET COLLEGII REGII MEDICORUM LONDINENSIS

IN MEDICINA PERMISSO,

IN NOSOCOMIO MARIBONNENSI

MEDICO,

&c. &c. &c.

HOC OPUSCULUM INAUGURALE

DAT, DICAT, CONSECRATQUE,

BENEFICIORUM MULTORUM IN SE COLLATORUM,

TUM PRAECEPTORIS CONSILIORUM, TUM AMICI

OFFICIORUM,

DISCIPULUS HAUD IMMEMOR,

AUCTOR.

"*Ista quoque naturae rerum contemplatio, quamvis non faciat medi-*
"*cum, medicinae tamen aptiorem reddit.*" CELSUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VI CONSUETUDINIS

IN CORPUS HUMANUM,

NUNC CAUSA MORBORUM, NUNC SALUTIS PRAESIDIO.

Est anima praeditorum, animalium nempe et plantarum, accommodare sese circumstantibus rebus, et mutare se pro externis admotis : et, eo subtilior est horum fabrica, quo major ad mutationes, ad novos habitus sumendos, est proclivitas.

Homo igitur, princeps animantium summa constitutus cura, omnium potissimum mutare,

novamque induere naturam, consuevit. Porro, valde afficitur genere rerum sibi proprio, eo, nimirum, quod ad rationem pertinet. Cum enim habeamus facultatem, numerum cogitationum augendi, *singuli* quotidianos progressus in scientia facimus; quovis igitur hominum mutato, (quoniam sensa, dicendo impertiri possint,) *totum genus*, aliquatenus saltem, in ejus mores abire potest: quin et orationis ope, scientia saeculi unius alteri traditur, in decursu temporis multum augenda, majoresque editura effectus.

Hinc ratio, cur apud gentes, aliquid novi semper in conspectum veniat, dum, a rudi statu, civilem ad cultum progrediuntur; at contra, caetera animalia, rationis facultate expertia, vel saltem, quibus arcta tantum portio est data, et quibus, ut videtur, nullum est inter se scientiae commercium, pristinam naturam servant: quod si quaedam, magis exquisitis facultatibus praedita, quodammodo novos mores novamque formam assumere solent, aliis causis attribuendum est.

" La brute ne se modifie pas elle-même: si

" elle change, c'est sous l'empire de la domesti-
" cité, sous le joug de la servitude ; ou, c'est
" par l'influence general du climat et de la nour-
" riture, dans les lieux qu'elle habite. L'hom-
" me reagit, au contraire, sur sa propre nature :
" ses divers états de civilization et d'education,
" ses genres de vie si variées dans toutes les si-
" tuations et les conditions politiques, parmi
" toutes les contrées du globe, exaltent ou de-
" priment, alterent ou deforment son type ori-
" ginel."

Studium rerum novarum homini proprium est, vel in eo maxime ostenditur ; et stat potentissima causa, cur consuetudines novas sibi faciat. Hoc studium invalescere videtur, ut paulatim abitur a simplice et constanti genere vitae, quod primum degit. Idem maxime conspicuum est in populis, qui ad summam humanitatem cultumque pervenerunt ; contra autem, gentes quotquot, ullam propter causam, diu antiqua instituta vitae tenuerunt, plerumque per multa saecula immutatae permanserunt.

Haec praefatus, de propensione quae homi-

nem movet, antiquarum consuetudinum permutationi studere, deque imperio lato quod, quae varie mentem afficiunt, in constitutionem ejus exercent, nunc est quaerendum, Num gentes, prout provectiores civilitate evadunt, morbis opportuniores redduntur?

Haud alienum erit, id memoria tenere, nunquam nos quodvis commodum adipisci, quin aliquod damni, eodem tempore, capiamus.

Cum humani generis ingenium novi cupidum, relinquere unum, alteri generi vitae, in quo promittitur plus voluptatis, jubeat; semper nonnihil ex rebus, quibus jam fruimur, amittimus.

Sic, pastoris placida vita, quae carminibus poëtarum tantum dedit locum, omnibus forte videbitur, vitae tristis ferique hominis, cui venatio aegre ad victum suppeditat, anteponenda. Talis autem est sors hominum, ut quoties ab hoc est decessum, et illum ad statum perventum, nonnihil detrimenti sequatur: fera quidem gens politur, at simul enervatur, voluptatum capacior fit, caeterum incommodorum non amplius tam patiens perstat. Societatis bene-

ficiis utitur, legibus autem officiisque sese flectendum est.

Hodie non potest ad unguem reperiri qualis sit humanae stirpis primitiva conditio ; at eam licet conjectare, ex his, quae ab antiquis memoriae tradita sunt, et ex earum nationum vitae genere, quae nunc eam simpliciorem, nec aliam atque erat olim, agunt.

Est videre, orbis terrae incolas, quaedam in genera sive familias diduci, quarum, ex principio, alia aliam regionem habitavit ; quod si quaedam horum, potestatibus variis, veluti frigore, calore similibusque non affici, magis idoneae videntur, non ideo affirmari potest, prosperam *valetudinem* ipsam magis esse hujus quam illius generis, aut hujus magis quam illius zonae.

Quaedam ferae gentes repertae sunt, vitam degentes, haud longe ab ea belluarum distantem, minimeque exhibentes facultates, quae potissimum sunt hominis ; quae autem gentes, sanitate integra, quae primis temporibus illis contigerat, uti solent. Sed cum homines sese

societate conjunxerunt, et studia pristina reliquerunt, in novas consuetudines se paulatim adducunt, novisque delectamentis sese aptant, et novas artes sibi extundunt; tum quidem mutaturi sunt, quod ad constitutionem corporis, idque occupat cohors morborum, augenda numero pro eo, ut ad magis politam cultamque vitam progrediuntur.

Novae et exquisitiores voluptates inventae, incitant ad premature nimisque varias corporis functiones exercendas; ac dum blandis delectationibus indulgeamus, servi cupidinum evadimus, nec amplius valemus ad labores patiendos.

Artes etiam propriae, quibus singuli versantur, et genus vitae ad has necessarium, (quatenus est contrarium legibus naturae,) multiplices excitant morbos.

Haud longo opus erit sermone, ut manifestetur, causas jam memoratas pessimos praestare effectus. Incolis politarum urbium cum populis, qui adhuc longe a cultu humano absunt, comparatis, videre licet magnam inter eos dif-

ferentiam, cum quod ad corporis constitutionem, tum ad morborum numerum, pertinet.

Illi, morbis innumeris, latiusque inter homines diffusis, plectuntur: apud eosdem saepius incidunt deformitates, alieni status corporis, veluti monstra, gigantes, nani, necnon capti mente. Varia organa muneraque, ea autem praesertim quibus sensus perficitur, a nimio pravove usu vitiantur.

His contra, omnibus corporis muneribus magis rite absolutis, plerumque sunt integra et continua valetudo atque usus membrorum liberrimus.

Animalia quoque quaecunque in vita sunt comites hominis, et cum illo junguntur societate, dum mores novas induat, insignes mutationes assidue subeunt, ac aliis atque aliis morbis exerceri solent, eodem saepissime genere ac qui dominum premunt.

Plantae etiam factitio cultu afficiuntur; et cultoris sub cura, novas visuque mirabiles assumunt formas.

Ex totis jam dictis mihi persuadetur, ut maxime insignes constitutionis humanae com-

mutationes, ad vim consuetudinis sint attribuendae.

"For use can almost change the stamp of nature."

Sic aggressus quae maxime homini sunt propria, mutationesque in eo a quibusdam causis inductas, exponere, nunc pauca igitur dicere oportet, de vi consuetudinis in sanitate tuenda, sive de iis quae Diaeteticae vocantur.

Supra dictum est, de proclivitate generis humani ad novos mores induendum, cum ea, quae mutationes ducunt, incidunt; sed huic opposita nititur vis resiliendi, (si ita loqui liceat,) sive inclinatio ad redeundum in pristinam conditionem, cum submotae sunt mutationis causae.

Consensus animum inter et corpus item fuit traditus, ac plurimae et maxime insignes conditiones adversae valetudinis huic causae sunt attributae. Sed ratio mentis ipsa, quae laesa, tot tantaque mala edit, docet quomodo homines ad sanitatem perveniant.

Sin mali mores atque inveteratae consuetudines id agunt ut afficiatur humana valetudo, exuendo tamen eorum vincula, et in locum sufficiendo regulas, quae optime conveniunt, talium effectus sunt evitandi.

Hinc facile constat, ut hae omnes potestates quodammodo duplicem vim moliantur, et prout adhibitae fuerint, commodum aut detrimentum afferant; videtur enim Opifici rerum placuisse; ut his in exemplis ubi malum, ibi medicina; ubi venenum, ibi antidotus reperiretur.

Diaeteticae igitur videntur optime disponi in duo capita, quorum prius tractat, quae ad universos homines, alterum, quae ad singulos pertinet.

Prius autem omnes regulas complectitur, quae sunt necessariae ad sanitatem hominum congregatorum, veluti in urbibus, coloniis similibusque; aut multitudinum eandem in rem coactorum, veluti in castris et classibus, in communae utilitatis operibus, in ergastulis; qui-

bus accedunt, quae ad nosocomia, carceres, caeteraque regenda, sunt aptae.

Hoc in opusculo, haud visum est late persequi, quae scriptores, hac de re, in lucem protulerunt. Hi autem fundamentum propositorum fecerunt, usum *non naturalium*, (ut solent loqui medici,) et quatenus rationi et experientiae non sunt contraria, consilia adhibita feliciter cesserunt.

Non apud medicos tantum haec res est tractata ; plurimae religiones, ritus et tabulae legum multis ad idem institutis favent. Philosophi maximi nominis, non esse suae dignitatis non putarunt, operam dare, ad excolendum quod ad corpus attinet, dum certarent, ea proferre, quae animo prodesse, et eum a malo prohibere conveniunt.

Porro, alii, nec frustra, conati sunt conditionem lenire eorum, quos, quaestus aut alia necessitudo, ab aëre pleno caeterisque quibus sanitati est usus, intercludit, aut genus vitae peculiare ducere cogit ; nam periclitantis nautae Cook, et optimi Howard, aliorumque multo-

rum, tum diligentiae tum successus, meminisse decet.

Altera sub comprehensione nostra sat erit, consuetudines attigisse maxime culpandos regulasque summi momenti de vivendi ratione, quibus *cuique* est opus.

Non potest quin sit in aperto nobis, animum intendentibus ad destitutam *infantium* imbecillitatem, et ad mala in quae, ii, alieno modo alendi, facilius incidunt, (quibus, non solum praesens molestia affertur, sed etiam venturorum semina vitiorum inseruntur,) maxime interesse, ut quam optima educationis consilia, ab initio, ineamus. Nam dubitandum non est, ineunte aetate, non secus ac per totam vitam, multum mali afferri, siquando habitus minime naturales in locum fuerint suffecti praebitorum a communi parente. In vituperationem jure veniunt igitur cruciatus, quos ignorantia, mos saeculi aut mali felix amor, his infirmis nec tacitis victimis crudelitatis inferunt.

Cum eos videmus, ex quo tempore in hujus

solliciti mundi lucem venerunt, vinctos, vagitus frustra edentes, tenera et stimulata corpora, angustis vestimentis, ligatos, motum capitis membrorumque liberum vinculis impeditos; cum eosdem videmus manibus conductitiae nutricis confisos, (privaturos forsitan parco nutrimento eum, cui jure contigit,) refertos male selecto cibo, alimenti parum praestante nec concoctu facili; coactosque devorari stimulantia et medicamenta, non minus noxia quam non necessaria; inter omnes constat, prolis sortem pauperis ferive hominis longe esse anteferendam, cui alma parens plenum et salutarem victum suggessit; is enim infans, prospera sanitate utens, et talibus vinculis, praesagiis servitutis venturae et ineptorum morum tyrannidis carens, hujus aetatis imbecillitate exit.

Si vero obstructiones variis in organis, tam saepe, aliena ratione alendi, illatas, non secus atque haereditaria aut fortuita mala, evitaverit, et ad proximum aetatis gradum, pueritiam scilicet, pervenerit, *homo futurus* commendatur curae et tutelae nostrae, quia non possit vitam per seip-

sum regere, et quia arbitrio nostro, facilis sit flexu; nunc profecto, in praesentem venturamque constitutionem, nobis maxima est potestas.

Ne multis moremur de rationibus, quae variae ad juventutem educandum sunt repertae, cunctarum summa comprehenditur cum dicimus, "Fer et abstine."

Dum pueros assuefacimus labores omnigenos tolerare, ac dum iisdem res noxias prohibemus, et etiam plurimas voluptates, quibus maturiore aevo, etiam commode, frui fas est, abnuimus; fundamenta secundae valetudinis et futuri roboris agimus. Omnino autem contra, pessimos effectus nimiae indulgentiae et immaturi usus functionum, quotidie conspicere licet.

"Utinam liberorum nostrorum mores ipsi
"non perderemus, infantiam statim deliciis sol-
"vimus. Mollis illa educatio, quam indulgen-
"tiam vocamus, nervos omnes et mentis et cor-
"poris frangit. *Fit ex his consuetudo, deinde*
"*natura.*"

Lycurgus, exemplo suo, aliique legum auctores praeceptis, hortati sunt, ut omnes impuberes alicujus regionis in unum cogerentur, eo

consilio, ut moverentur imitari praestantiam aequalium et provectiorum, et ut facilius administrarentur instituta, quae conveniunt ad animum excolendum, et imprimis, ad vires corporis roborandum.

Multum boni consilia hujusmodi secutum est; sed talia non ubique locum habere possunt; nec ita forsitan Natura censuit, paterna enim domus, ab illa data, longe aliter est atque inferior gymnasio publico.

Cum autem homo jam adolevit, et in usum facultatum pervenit, mihi persuadetur, dum accommodamus praecepta differentiae corporum, ut multum nitendo prosit uti ad valetudinem perveniat, eave continua utatur. At contra, ut negligentia aut inertia nunquam eidem proficerent,

"If Nature has been frugal in her gifts and "endowments, there is the more need of art "to supply her defects. If she has been generous and liberal, know, that she still expects "industry and application on our part, and re-

" venges herself according to our negligent in-
" gratitude."

Ii, " quos Natura fecit sanos et validos, et qui-
" bus sanitati quantumvis temporis et operae
" dandi est facultas," minime esse obnoxii vitiis cujusvis generis videntur. Hi tamen, freti insitis viribus, longe saepius quam caeteri homines, nimium voluptatibus et usibus munerum vitae pessimis indulgendo, totam compaginem frangunt, et id agunt ut maturius senescant; nec sibi tantum nocent, sed proli minime validae plurima mala, suis perniciosis vitiis oriunda, legant.

Luxuriosi profecto utriusque sexus et omnis aetatis, assidue novis deliciis dediti, novosque appetitus et alienas cupidines sibi creantes, spatio vitae et valetudine abutuntur.

Recentiores nostri nepotes, impatientes incommodorum et miseri evasuri si quicquid ex sexcentis ineptis blandimentis deerit, non amplius valent, ad gnaviter exercendas vires, nec eos dilectant puriora aut simpliciora gaudia.

Cultus corporis nostrorum temporum exem-

plum praebet, plurimos saeculi mores multum detrimenti afferre; quantum non impediuntur motus externorum musculorum vestimentis arctis, et plus justo constrictis! musculi enim capitis, sed imprimis cervicis et lumborum, ab omni libera decoraque actione prohibentur; compressis brachiis manicis, cohibitisque cruribus variis vinculis, multum virium perditur, et alieni motus consuetudine adducuntur.

Quae autem esse vera, variis ex rebus constat; nam vestes, aut saltem earum pars maxime incommoda, ab iis, quorum vitae genus ad crebram corporis exercitationem cogit, exuuntur; iis quoque, qui nostras vestes primum induunt, haud parum molestiae oritur.

Porro, non multum dignitatis, aut pulchritudinis iisdem esse plane patet, cum alia quaedam genera cultus, in theatro, in picturis, in signis, contra stant.

Cum videmus hunc, et alios plurimos mores male usurpatos, crebros morbos movere, non dolere nequimus, tantum peritiae operaeque amitti nec in utilitatem verti. Pro exemplo est; quasdam gentes sese adduxisse in consuetudinem

multis vestibus onerosis volvendi caput; contra autem multae, quae semper sunt aperto capite, ideoque iisdem minus est molestiae, et praeterea haud parum boni contingit.

Ne res alias ejusdem generis memorem, sat erit dixisse, omnes, etiam sanissimos, oportere curam adhibere, ne appetitus in intemperantiam rapiant, nec omittere exercitationes, quae ad confirmandum et augendum vires corporis conveniunt.

Celsus quidem vere dixit, " sanus homo, qui " et bene valet et suae spontis est, nullis obli- " gare se legibus debet. Hunc oportet varium " habere vitae genus;" ac multi praeterea, intemperantiae subinde indulgere, et rebus, quae diutius admotae nocent, nosmet objicere, jusserunt; si volimus apti reddi cum hominibus versari, et assuefacere nos rebus quas non semper evitare aut praecavere possumus. Poëta scripsit,

——" This restless world
" Is full of chances, which by habit's power
" To learn to bear, is easier than to shun."

Non nisi hoc consilio haec jussa probare pos-

sumus; non enim est salutis vera ratio, atque ideo non nobis est excusandum, siquando haec experimenta crebrius iteramus.

"Cavendum est ne in secunda valetudine "adversae praesidia consumantur."

Aliud genus, idque male valde numerosum ex iis constat, "qui, ab initio, constitutione in-"firma et imbecilla fuerunt."

Ex casu aliquo, morbis diversis, tractatione aliena, et saepe sine causa evidente, bene multi non integra valetudine utuntur; tales sunt minus validi, minus laborum patientes, facilius laesionibus frangendi. Eos profecto diligentissime animum intendere ad vivendi rationem oportet; ut quod iis deest quoad vires insitas, opera supplere possit.

Non desunt qui sunt auctores constitutionem debilem esse quasi beneficium; quia talis constitutio sibi vindicat curam majorem; dum robusti crebrius sese negligentia laedunt. Quanquam non visum est prorsus hanc sententiam sequi, tamen est concedendum, multa insignia exempla hominum extitisse, qui cum laboravis-

sent proclivitate ad mala, infirmo et infelici corporis habitu, haec tamen incommoda superarunt, et morbis vacui provectam aetatem attigerunt.

Si "temperantia, exercitatio et cognitio constitutionis suae" cuique imperatae sunt; imbecillis corpore profecto multi majoris momenti sunt.

Valde errant qui, minime pauci, affirmant, oportere debilioribus dare immunitatem exercitationum munerumque, quae magis validis praescribuntur, quique iisdem licere indulgentia uti quanta ipsi velint. Omnino contra, maximam diligentiam adhibere expedit, paulatim assuefacere corpus injurias pati, et ad otiosum ejus ingenium exuendum ciere; cum enim omnium est operam moliri, ut sibi sanitas atque vigor contingant.

Multi protulerunt, quippe qui crebros apud cupidos literarum morbos observassent, quandam corporis debilitatem vim animi magnam semper comitari. Sed veritati propius erit praedicare, haec mala plerumque afferri assiduo studio et vita magis sedentaria, qua de-

sideria naturae negliguntur: arbitrari autem nequeo, sensus molestos, qui semper morbos comitantur, rationi ullo modo prodesse posse.

Nam opinari fas est, quoniam, ut fertur, corpus est quasi habitatio animi, et tam saepe conditiones ejus afficit, nullum ejus statum magis aptum esse, ad libere excogitandum, quam cum corpus integrum et ad munera idoneum existit. Nec defuerunt ingeniis praeclari, qui valetudine et strenuitate corporis usi sunt, et qui ad vires excolendas operam dederunt. Quidam profecto Graecorum, vix minus in Academia, quam in Gymnasio, insignes extiterunt.

Studiosi igitur hoc memoria teneant, facultate quavis plus aequo adaucta, aliam semper aliquid detrimenti capere. Optimum est consilium, functiones cunctas, quantum possit, inter se aequales conservare. Non nobis datur, studia persequi ultra quendam limitem, quum functiones omnis generis sunt finitae, nec legibus constitutionis non parere permittitur.

Si volumus aliam facultatem per aliquod spatium exercere, praecavendum est, ne aliam premamus; recordari enim decet, potissimum

optandum esse, " Mens sana in corpore sa-" no."

Cum autem usus cujusvis functionis prorsus amissus est, convenit moliri operam ad ea excolenda quae supersunt; veluti si quis sit captus oculis, acumine sensum tactus auditusque, visus defectum compensare debet.

Postremo, de iis referre fas est, " quos mu-" nera publica aut privata, quo minus edant, " dormiant, et corporis excitationes adhibeant, " certis temporibus prohibent."

Haud raro spectare licet insignem similitudinem, quod ad constitutionem, non secus ac corporis formam atque consuetudines, inter illos iisdem in studiis versantes. Propter exercitationem plus minusve justo quaedam functiones aut potestates aliis impares evadunt; simili ratione ac quodvis, prae aliis exercitum, membrum vel corporis pars, majorem vim, molem aut mobilitatem comparare potest: " Ubi stimulus, ibi af-" fluxus."

Causae tales saepius alienos compaginis status praestant; caeterum facilius penes nos est

eos corrigere ; cum mali origo magis sit in promptu, ratio curandi planius patet.

De quibusdam hominum generibus, quae hoc sub capite poni possunt, operariis, famulis, militibus reliquisque, quorum artes non per se sunt insalubres, non opus erit ut alia jussa quam jam dicta exponantur. Multis autem in exemplis, habitus corporis peculiaris, et etiam ejusdem vitia, plane sunt ex vitae genere oriunda, quo relicto, talia in melius vertuntur.

In moliendo sanitatem, accommodandum est rationem victus ad vitae genus : siquando ars est sedentaria, et ea ut aliquem cohibeat ad locum ab aura interclusum, oportet quotidie sub divo exercitationem adhibere, parcius uti cibo, nec ventriculum onerare ; contra autem, operiosis, labore defatigatis, quies et victus nutriens conveniunt.

Sunt profecto plurima artificia, tum publica, tum privata, quae morte, aut saltem valetudine, millibus male steterunt. Ad huic rei occurrendum benevoli apud gentes saepe, nec infelici sane eventu, operam dederunt : hunc ad finem

multa quae in scientia reperta sunt plurimum contulerunt; sed ad majora via patet.

Nihilosecius autem, hac de re locus est ut quisquis sibi consulat; et siquando artem insalubrem aliquis non prorsus relinquere possit, debet ab ea subinde cedere, et aggredi, cura quae convenit, perniciosas sequelas praecavere.

"Vita mancipio nulli datur, omnibus usu."

Non medici est, lenire tantummodo dolores, et instantia mala submovere, in stultitia alicujus conniventes, et ex malis quaestum facientis. Tales quidem Roma, nec injuria, expulit Cato, tanquam luxus vitiique fautores. Probus medicus ad fontes mali claudendum operam dabit; quum autem ei saepe in potestate sit, dum undique aegros adit, habere compertas pravorum habituum origines, sic exemplum et consilium adhibere oportet, ne talia longius procedant.

Postremo, rursus dictare volo, ut quisquis ad habitudinem corporis et vitae genus, animum

intendere debeat; nec mihi est dubium, quin nos, quamvis minime providentes et imperiti, multum animo strenuo et diligente efficere possumus.

Sic navis bene recta gubernatore perito, etiamsi iisdem necessitudinibus objecta, iisdem casibus opportuna, et furori maris et coeli pariter oblata, magis est verisimile ut talis cursum conficiat et pericula sustentet, quam navigium manibus inscientium atque ignavorum nautarum permissum.

FINIS.